

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0423

0421

0427

0417

0432

0412

0472

0372

0522

0322

0922

Ende

Anfang

409

antequam nosceremus nos invicem, bene multas pecunias et paximatos eis dedimus, sed post acceptam notitiam et cognitam conditionem, imperavimus et coegimos eos facere, quod nobis placuit. Surreximus autem ante lucem et collitigavimus simul usque ad solis ortum et simulabant se cum camelis velle redire in Gazam, (b) quod tamen nobis molestissimum fuisse. Cum ista simulatione valde turbabant nos, tandem Trutschelmannus noster in eos fremuit et omnia nostra recipere coegit et ita a loco et de campo Gazmaha recessimus per planam terram, sed pro majori parte sabulosam et sterilem. Cum autem quasi per unum milliare theutonicum venissemus, Calinus magnus, dominus Sabatithanco, Trutschelmannus noster, magister hospitalis S. Johannis in Jerusalem, Sarracenus, qui a Joppen usque huc in omnibus viis nos conduxit et rexit, recepit licentiam a nobis cum filio suo et commisit nos Calino parvo Elphahallo, Sarraceno, et commendavit camelariis et asinariis et reddit in Jerusalem; non enim tenebatur nobiscum proficisci per desertum, prout continetur in VI. articulo conventionis, ut patet P. 1. Fol. 219. De hoc viro Calino magno et de parvo, nobis derelicto, vide P. 1. Fol. 221. Audivi interim, quod ille Calinus magnus mortuus sit, et filius ejus Abram dictus ei in officio illo successerit. Videbatur mihi esse bonus et tractabilis adolescens, de elatis tamen et superbis moribus. Igitur post Calini recessum, qui huc usque tutor noster fuerat, confortavimus nos ipsos et animavimus ad patientiam et ita processimus. Vidimus autem ad dexteram mare magnum, quod non vidimus a die, qua de eo a Joppen recessimus, vidimus etiam stratam publicam, quae dicit in Aegyptum, et civitatem Bersabeae, finem terrae sanctae, vidi mus illo die. Insuper autem nos vidimus terram desertam et vastissimos montes, contra quos quasi pavidi processimus, quia videbatur nobis terra tenebrosa et montes caliginosi, non quidem ex nebulis aut vaporibus, sicut plerumque contingit, sed ex terrae vastitate. In processu venimus in campum arboribus diversis et magnis repletum, in quo creditur Helias sub junipero quievisse et confortatum ab angelo fuisse, ut habetur 3. Reg. XIX. Ibi stabant therebinthi multi, in via vero stabat una arbor densa, quae florebat et suavissimum odorem flores

